



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. VIII. De Dilationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

de calumnia, aut veritate juratum fuerit, iterum tamen in secunda instantia, seu causa appellationis, utrumque juramentum repeti debet, num. 27. Assert. II. Juramentum calumniae, sicut & veritatis, statim post litis contestationem, praestandum est; non tamen ideo totus processus est irritus, etiamsi non statim potest fuerit praestitum, num. 28. Juramentum verò malitiae in omnibus causis, tam ante, quam post litem contestatam exigi potest à partibus, non semel tantum, sed quoties Iudici visum fuerit, num. 29.

Assert. III. Juramentum calumniae praestari debet, tactis SS. Evangelijs: hodie tamen sufficit apud acta jurati, num. 30.

§. IV. De poena recusantis praestare Juramentum calumniae, & huius effectu. pag. 153.

QUAER. I. Qua sit poena nolentis jurare de calumnia? Resp. Si Actor, ab instituta actione cadit; si Reus, pro confesso habetur, n. 31. Potest tamen Actor, vel Reus recusans jurare, hanc poenam evitare, si se postea offerat ad jurandum, ante sententiam Iudicis declaratoriam incursum poenae, vel condemnatoriam ad poenam, num. 32. Haec poena non habet locum in recusante jurare de malitia, num. 33.

QUAER. II. An contumacia procuratoris, vel alterius administratoris recusantis jurare de calumnia noceat domino ad incurrendam praedictam Juris poenam? Resp. Non nocere, num. 34.

QUAER. III. Quis sit effectus huius juramenti? Resp. Ut jurans excusetur ab omni calumniandi suspitione, num. 35.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

- c. 1. n. 10. & seq.
c. 2. n. 25.
c. 3. & 4. n. 15. & trib. seqq.
c. 5. n. 6. & seq.
c. 6. n. 19.
c. 7. & ult. n. 12. & duob. seqq. & §. Pana verò; fn. eod. n. 31.

IN SEXTO.

- c. 1. in princ. n. 28.
§. Propter n. 5.
§. Quamvis ult. n. 26.
c. 2. in princ. n. 25.
§. Procuratores, n. 22. &
§. In omnibus ult. n. 29.
c. 3. & ult. n. 20. & seq.

TITULUS VIII.

DE DILATIONIBUS. pag. 154.

Quid sit dilatio extrajudicialis, & quid dilatio judicialis in genere? num. 1. Dilationes aliae sunt legales, seu à lege concessae, aliae conventionales, quae ex partium consensu dantur; aliae judiciales, quae à Iudice in Iudicio dantur, num. 2. Rursum aliae dilationes in exordio litis, ante litis contestationem, dantur; aliae, quae dantur post litis contestationem; aliae denique in fine, num. 3.

§. I. De dilationibus, quae ante litis contestationem conceduntur, pag. 155.

ASSERTIO I. Dilationes citatoriae sunt, quae Reo absenti citato dantur ad comparandum, & respondendum in Iudicio, & haec datae, cum termino peremptorio, non debent esse nimis breves, nisi necessitas aliud exigat, n. 4. & duob. seqq. Porro, si quis citatus sit peremptorie ex loco valde remoto in causa ardua, ita, ut sufficiens tempus non habuerit ad patandum se ad Iudicium, sed postea iterum citetur, ob publicam utilitatem, tum non statim ibi respondere cogitur in privata sua causa, sed nova dilatio ei dari debet, n. 7. & seq.

TOMUS II.

Assert. II. Dilationes deliberatoriae sunt, quae Reo post oblatum libellum, dantur, ut deliberare possit, an litigare velit, vel non, n. 9. Haec verò dilationes etiam Reo quandoque denegandae sunt, si per litteras citatorias plenè in causa instrui potuit, n. 10. & seq. Est & alius casus, in quo Reo nova dilatio deliberatoria dari non debet, num. 12. & seq.

Assert. III. Dilationes recusatoriae, seu declinatoriae dicuntur, quae ante litis contestationem ad omnes exceptiones dilatorias, seu declinatorias opponendas dantur, n. 14. Alia dilatio trium mensium datur, quando peremptorie citantur fabricantes falsos florenos, n. 15.

§. II. De dilationibus, quae post litis contestationem, vel ante sententiam definitivam, vel post illam conceduntur, & de prorogatione, atque effectibus dilationum, pag. 158.

ASSERTIO I. Post litis contestationem, conceduntur dilationes probatoriae, & allegatoriae: illae dantur Actori, vel Reo, ad probandam suam intentionem, vel exceptionem, & semel tantum, sive unà vice danda sunt, n. 16. Quod tamen limitatur, nisi iustum impedimentum probeatur, ut quod plures dilationes dari possunt; item in causis criminalibus, n. 17. Et plerumque non conceduntur à Iudice, nisi ad instantiam partis litigantis, quamvis etiam ex mero officio Iudicis dari possint, n. 18. Sunt autem temporariae dilationum moderanda pro distantia locorum, & personarum qualitate, n. 19. Dilationes allegatoriae sunt, quae dantur partibus, ut ante sententiam definitivam proponere possint, si quid adhuc habeant proponendum, & allegandum, & dantur tres successivè, n. 20. Assert. II. Sunt & aliae dilationes definitivae, quae dantur ad causam definiendam, & non tantum una, sed etiam secunda, & tertia dari debet, nisi dentur cum termino peremptorio. Aliae sunt dilationes executoriae, quae dantur Reo per sententiam condemnato ad satisfaciendum, vel solutionem faciendam, n. 21. Assert. III. Prorogatio dilationum est dilatio labentis, nondum lapsa extensio, n. 22. Assert. IV. Praecipuus effectus dilationis est, quòd eà pendente officium Iudicis conquietat, n. 23.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

- c. 1. n. 4. & duobus seqq.
c. 2. n. 10. & seq.
c. 3. n. 12. & seq.
c. 4. & ult. n. 7. & seq.
Extradag. unic. inter communes, n. 15.

TITULUS IX.

DE FERIIS. pag. 160.

§. I. De variis feriarum generibus, & earum computatione, pag. 160.

ASSERT. I. Feriae hinc generatim dicuntur dies, seu tempora, quibus jus non dicitur, sive ab actibus judicialibus cessatur, & vacatur: aliae sunt feriae solennes, seu ordinariae, quae legibus, & SS. Canonibus definitae sunt, eaeque vel sacrae, quae ad cultum DEI, & Sanctorum sunt institutae: vel profanae, & politicae, quales sunt, quae in honorem Principis indicuntur: aliae rusticae, quae tempore necessitatis, vel vindemiae conceduntur, item feriae nundinarum. Aliae verò sunt feriae extraordinariae, & repentinae, quae extra constitutum ordinem, & morem indicuntur, ob Principis adventum, vel nuptias